

diuturnitas, quae maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. Etenim si nulla unquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus; neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus. His ego litteris si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse adsecutum: sin minus forte valuissent, officio tamen esse functurum benevolentissimi atque amicissimi: quem me tibi et fuisse semper existimes velim, et futurum esse confidas. Vale.

#### XI. M. T. C. M. MARCELLO S. D.

«Reditum in patriam Marcello suadet, refutatis singulis, quae dissuadere videbantur, praesertim quod nec aliter futurum fuisset, si vicissent Pompejani.»

Etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio litteras ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem oportere, et quid tibi faciendum arbitrarer: tamen, cum Theophilus libertus tuus proficisceretur, cujus ego fidem erga te, benevolentiamque perspexeram, sine meis litteris eum ad te venire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus litteris hortatus sum, ut in ea republica, quaecunque est, quamprimum velis esse. Multa videbis fortasse, quae nolis: non plura tamen, quam audis quotidie. Non est porro tuum, uno sensu solum oculorum moveri; cum illud idem auribus percipias; quod etiam majus videri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias, aut faciendum, quod non probes. Primum tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum: deinde non habet, ut nunc quidem est, id vitii res, dicere fortasse, quae sentias, non licet; tacere plane licet. Omnia enim delata ad unum sunt: